

v.1 Tenerae patrem quietis genitore Jove satum
 2 jubet alta mens Cybeles tereti pede canere :
 3 sacra juncta quos ovantes simul abdita decorant.
 4 Age Thyrsiger, Bicornis, Dionyse, Bigenite,
 5 eleleu, Evoe Bimater, Semelefemorigena,
 6 animi mei tumentis furiata loca subi.
 7 Laticis deae potentes, virides hyalicubae,
 8 vaga Nais amnicultrix, soror et pelagidoma,
 9 rigidoque tecta quercus pigra cortice Hamadryas :
 10 simul Euas Hippa pictis redimita nebridibus,
 11 refer has preces alumno : paret ara propitium.
 12 Phrygios relinque campos dea, Tmolus initio
 13 ubi vagienti opteria tinnula, dederat.
 14 Jove patre digna proles, Baryctyperibromie,
 15 reparator alme fessi venerabilis animi,
 16 quid erit prius canenti, quid erit posterius ?
 17 An ut artibus dolosis soror aerea Jovis
 18 Semele necem suasit, rata pignora memorans,
 19 rata fulgurantis igni tona pignora thalami ?
 20 Furibunda flamma plenum cineri dedit uterum :
 21 nihil illa laesit alto sacra membra Jove sati.
 22 Famulatur ignis igni, coma fulminea tuae :
 23 nova flamma juncta flammae duplicata tibi furit ;
 24 tibi spirat hisce puris tonitrusona numeris.
 25 An ut inde semicretum suerit sibi femori
 26 Pater arbiter sereni pluviaeque dator aquae :
 27 quoad integrum deo sera dies daret habitum.
 28 Viden hinc choros Evantum ? Viden agmina propera,
 29 sacra tecta fronde, plexis sacra condita caneis ?
 30 Viget hinc tenellus infans : puerumque video mox.
 31 Barymeni, Bassareus, Evie, Gegeneophone,
 32 age solve viperini fera cingula catuli :
 33 et eo recinge flagrum : tace verbera tumeant.
 34 Date, dura terra, nubes : date vos nemora locum.
 35 Mora nulla, nec quieti modus ullus. Adorere,
 36 quate, pelle, caede, Penthei memor et memor Acati,
 37 sola quo secante ponti latro dux Lydius erat,
 38 modo salsa adunciostro vada corpore varians.
 39 Supere, Infere, omnia unus, Lye, Lysie, Nomie,
 40 nihil est tibi quod obstat : nihil est tibi quod obest :
 41 coluberve dirus aestu, Lybicaeve juba leae,
 42 rigidusve montis aspri, nemorumve ferus apex,
 43 fluviusve curvicursor, Thetis aut reciprocipes,

44 Notus aut periculosus, Boreasve maritimus,
 45 Zephyrusve dona veris genitabilia ciens.
 46 Tua lege sensit acri juga decolor Oriens :
 47 tua prima Dithyrambi nota, clamor io, io :
 48 tua prima sunt triumpho nova stemmata titulis :
 49 acies tuis ut armis truculenta, gigas obit :
 50 rabies reflexit in se ipsa bipennifera cadens.
 51 Canimus, tot atque tantos domitare sacrilegos :
 52 male paenitere Mineidas artis et operae :
 53 temerarios tumultus ubi sancta celebritas
 54 simul hausit ; et simul tum fuit ultra facinora.
 55 Peregrine, Semitalis, Myrionyme, Xenie,
 56 Hyperemeroclophypne, Ploinerterobathypne,
 57 geminusque et unus idem : varius, similis item :
 58 Nomius, Thyonius, Nyctilieus, Oreodromus :
 59 tua lympha pura fontis : tua munera laticis
 60 salientis e rotundis sinibus gravis acini.
 61 Tibi prima mella pingues dederunt liquida favi.
 62 Neque soli aratra jactat sibi sulciseca Ceres :
 63 neque Vesta mater auctos sibi montipera lares :
 64 neque jura sancta summo Themis ardua solio :
 65 neque sceptrum Juppiter vindicat aurea sine te.
 66 Animantibus repletur tibi terra, tibi mare.
 67 Comes est recens Juventas stata, nescia tenebrae,
 68 bona sempiterna vitae vegetantia cumulans.
 69 Duce te super supremi ferimur spatia poli :
 70 fruimurque caelitum vi, fruimurque dape deum.
 71 Sine te deus fatigat temere pius Helicon :
 72 temere impedita languet pigra vena, cita prius.
 73 Mihi tauriformis Euan, mihi Merotrophe veni.
 74 Modo lenta siste vestigia munere ferulae :
 75 modo sustine, profanis fera pectora feriens.
 76 Genitus bis ex eodem, semel ante satus eras.
 77 Pater, obstetrix, et idem fuit ille pia parens.
 78 Toties satus, biformis, modo femina, modo vir :
 79 Temesa idem, Iacchus idem : dubius neque dubius.
 80 Igitur si Eleusin aris Cerealibus agitas,
 81 Erycina sive Cypro Cytherea Venus alit,
 82 vel amas Osiris undas colocasiopatulas,
 83 tibi temporum reponunt variante pede vices :
 84 saturas hiems quietes, aliaeque viridia
 85 modo certa flore picto, modo fructibus obita.
 86 Comes uda cymbalisque crotalisque fit Hecate
 87 hera, mutuata puri tua lumina radii,
 88 ululata noctilucis per inania triviis,
 89 facies triplex in una, triplici unica facie.
 90 Ades o Nysaeae, ades Carpine, Botrypyrigenes,
 91 Fremie, Agriota, Leneie, Manice, Hymenie,
 92 opulentitatis altor, Genius triticiferae :
 93 tibi spica ventilatis acerosa reliquiis
 94 opera tuat, atque vannit officio liquida nitet.
 95 Dator alme Bacche pacis, dator alme remedii :
 96 juga siqua servitutis mala blanditia parat.
 97 Metus ipse tu deorum, neque laetitia minor :
 98 prout explicata cordis cita seminia sipas :
 99 tua siqua vis ligarit, tua solverit eadem.

100 Reliquum, quod est in orbe hoc, nihil est ad ea labor.
 101 Cryphomysta, Die, Licnita, Sabazie, Chthonie,
 102 abige incubantis immania taedia senii,
 103 referens retro fugacem ambrosiae latice diem.
 104 Subitus sed unde mi corda furor trepida quatit ?
 105 Feror, auferor, fatigor : vacua in specua rapit.
 106 Comitatus iste, quisnam ? Quis ad hoc iter adigit ?
 107 Thyas hinc, et hinc Edonis trieterias ululat :
 108 ubi tibias Mimallon bifores meribibula,
 109 ubi rapta mugienti sua funera vitulo
 110 Tremibomboraucus inflat duo cornua capripes.
 111 Rubicunda bucca turget : rubidus tumet oculus.
 112 Nigra flexicrus corymbi comat orbibus hedera.
 113 Manus inquieta thyrsum colubrigerula rotat,
 114 latitantium ferarum populans domicilia.
 115 Fremit orba solitudo, nemora avia reboant.
 116 Sed ubi levem relinquo Salium caprifemorem,
 117 calamycinem Lupercum, subidum choretisequam,
 118 sibi Pana flantem acutis nova sibila tubulis.
 119 Sonat ille sic novenis ab arundinibus herum.
 120 Thiasota blande pando residens pecore senex,
 121 Tityrisca vis vocat te, teretismata titubans,
 122 crepericrepante crispans cava tympana digito.
 123 Ita torquemusta spument tibi praela, tibi vehes :
 124 ita vinolenta Maenas tremulum regat equitem :
 125 neque canthari fidelis sitis attenuet opes,
 126 sed onustior perennis fluat agmine scatebra :
 127 adhibe me alumni ad almi sacra mystica socium :
 128 mala cujus Ata frustra cupit esse familiae,
 129 Stygis Ata facta dirae famula obruta scelere.
 130 Hagne, Liber, Orgiastes, Nooorme, Vitulifrons,
 131 Holodesme, Brasmocrator, Pericionie vigor,
 132 aperi parata solis mihi crypta loca piis,
 133 procul artibus profani popularis humilibus.